Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 871
Quelle:
Copyright:

est non esse invtile quod quidam tractatus de non remanentia ipsarum substantiarum panis et vini post consecracionem in sacramento altaris — protendatur &c. In IX. *Capita* distributus, ut alibi, sed hic subscriptus: *Explicit Anno M° CCCC°. septimo 2ª feria post Inuocauit hora septima.*

III. *fol.* 95. Sermo *M. Johannis Huss*, habitus, ut in calce legitur, *Anno. d. M. CCCC 7m°. In die Luce In Synodo.* Initium: *State succincti lumbos vestros* &c. *Scribitur ad Ephesios 6. et in officio dominice iam currentis. Cum triplex turba christiani exercitus* &c. Extat *Opp. omn.* edit. 1715. P. II. p. 47. ubi tamen prave dicitur: *de Verbis Pauli Rom. XIII.* et mox: *ad Ephesios. 4.* Adtexta est in *Cod.* Adpendix satirica hujus Sermonis, quae incipit: *Circa preparacionem ewangelij de qua dictum est, videtur vtile dubitare, Vtrum in ewangelizatione coram clero et communi populo licet caritative cleri maliciam arguere, ypocrisim eius detegere et contra eius manifesta scelera predicare, et videtur quod non. quia primus Angelus malicie lucifer non vult hoc. Igitur non licet ex eo, quod tam magno Angelo et principi tamque scienti prelato in eius volicione non licet homini contraire* &c. Ad calcem: *Hec s.* (scripsit?) *Huss de Hussynecz.* Non sane in commendationem Caussae suae. Fragmentum istud initium est prolixae Tractationis, quae in edit. *cit.* P. I. p. 185. inscribitur: *Quaestio de arguendo Clero pro Concione.*

IV. *fol.* 107. Tres *Articuli* Accusationis *Job. Hussi* apud *Sbinconem* Archiep. *Prag.* cum Ejus ad hos *Articulos Responsis.* Negotium ad an. 1407. pertinet. Ingressus ad Accusationem ita incipit: *Reuerendissime pater. ad instantes preces cleri vestri ciuitatis et dioceß. Pragen. more pii patris ex officio vestro dignemini consulere eidem, prouidere ne scandala oriantur.* Nuper admodum ob Errores *Wicleffisticos* Nationem *Bohemicam* in Curia *Romana* haereticam audivisse, supervenire nunc non *ex radice caritatis, sed ex odiosa malitia* scandalosas in Clerum Praedicationes &c. Sequuntur dein Accusationis Capita: I. *quod Magister Johannes hus Predicator capelle sanctorum Innocentium in Bethleem maioris ciuitatis pragen. de anno domini 1407. et illa die* (qua?) *mens. Julij hora nonarum coram omni multitudine* declaraverit Haereticos, qui pro sacris obsequiis a Parochianis pecuniam exigere non desisterēt. II. *quod* Idem *die et hora antedictis in prefata sua publica predicatione*, postquam fidelium orationibus commendasset defunctum *Magistrum Petrum Wsserub bonum christianum et fidelem zelatorem fidei*, addiderit: *opinione mea saluo dei iudicio ego non reciperem totum mundum, quod vellem mori cum tot et tantis beneficiis.* Denique III. *quod* Idem, *quamuis sit synodaliter*